OBSERVATIONES CRITICAE

IN

L. ANNAEUM SENECAM PATREM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

O. REBLING

ISENACENSIS.

GOTTINGAE 1868.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

Inter eos scriptores, qui Augusto quum maxime imperatore eruditione per totum paullatim imperium Romanum propagata in provincia nati litterarum monumenta reliquerunt, haud minime dignus est, in quem opera conferatur, L. Annaeus Seneca pater, Cordubae natus, cujus libris inscriptus est titulus: „Oratorum et rhetorum sententiae divisiones colores"; quippe qui nescio an nullo clarius depingant studia rhetorica aevi Augustei, et quoniam illa aetate omnes fere homines eruditi artem declamatoriam amplectebantur, certiores faciant de optimis omnino studiis illius temporis. Adferebat enim L. Annaeus ad judicium integrum atque satis subtile, ut et pernosceret plurima vitia, quibus laborabant aequales, et evitaret, incredibilem memoriae felicitatem, quae quanta fuerit in vigore aetatis, quum ipse describit, tum inde colligere licet, quod filiis rogantibus ut sententias praestantissimorum rhetorum litteris mandaret, jam senex magnam copiam et earum, quas ipse andiverat, et quas per alios compertas habebat, facili negotio potuit suppeditare.

In quo si forte via quidem atque rationes, quas secuti sint rhetores, quoniam ex memoria, quamvis singulari, omnia exposuit, penitus perspici nequeunt, tamen quae in ipsis sententiis desiderantur, crebro per omnes

libros dispersis ipsius adnotationibus et in prooemiis, in quibus deformavit virtutes atque vitia clarissimorum rhetorum, magna ex parte indicavit; et quum subtiles atque artificiosas sententias, quibus constabant declamationes, diligenter collegisset et quasi in uno conspectu proposuisset, clare atque verissime expressit illa studia, quorum imaginem paucis delineavit Spengelius (Acta Monac. anni 1858).

Traditi sunt L. Annaei Senecae unus liber suasoriarum et quinque controversiarum, quum decem fuisse ex epitoma cognoscimus, codicibus haud ita multis iisque pessime perscriptis, scatentibus vitiis atque lacunis. Itaque quum philologis magnam facultatem praeberent artem criticam exercendi, tamen postquam a Lipsio, Gronovio, Andrea Schotto, Fabro diligenter summoque cum emolumento tractati sunt, per longum temporis spatium negligebantur: nostrae demum memoriae homines docti in emendandis iis atque restituendis versantur. Quorum opera quid adhuc effectum et constitutum sit, liceat mihi quam paucissimis exponere.

Ac primus quidem inter recentes Bursianus paravit editionem, quae et ipsius et Haasii et Iahnii speciosis correctionibus ornata est; verum tamen quum haud pauca restarent aut non satis recte aut omnino nondum emendata, multorum inde exortum est in hos libros studium, Spengelii (l. c.) Hoefigii (progr. Goerlitz. 1858), A. Kiesslingii (Mus. Rhen. XVI; Beiträge zur Kritik lat. Prosaiker 1864). Muelleri (Mus. Rhen. XXI. Zeitschrift für Gymnasien Febr. 1868), Konitzeri (diss. Vratisl. 1864; progr. Vratisl. 1868), Wachsmuthii (progr. Posn. 1868),

Spengelius primus movit quaestionem de adsciscenda in emendandis controversiis epitoma, quam exsecutus est praeter ceteros Kiesslingius, quorum opera multis locis confirmatum est immerito illam Bursianum aspernatum esse. Ostenderunt praeterea iidem haud paucis locis eas conjecturas, quae in vetustis Gronovii et Schotti exemplaribus prolatae sunt, nimio quodam fastidio a Bursiano repudiatas in ordinem verborum esse recipiendas. Neque denique de codicibus satis adhuc inter criticos constat judicium. Et in hoc quidem uno omnes ore consentiunt duos longe vetustissimos et maxima auctoritate esse, non pendentem alterum ab altero, sed ex eodem archetypo descriptos, quorum tamen alterum, Bruxellensem, quod ejus scribae nihil ex arbitrio suo mutavissent, Bursianus in recensione ut fundamentum in locis dubiis fere unice secutus est, alterum, Antverpiensem nonnullis locis in archetypo corruptis aut obscuratis magis ad integram scripturam accedere ideoque pariter adhibendum esse ostendit Konitzerus in diss. Tertium codicem, Bruxell. II sive Covarruvianum, quum illis, quibus a codd. B et A discrepat lectionibus ipsius conjectura correxisse verba intellexerit Bursianus, tamen interdum Andrea Schotto auctore sequi propensus videtur. Paullo majorem etiam auctoritatem huic codici adtribui vult Hoefigius. Qui ita disputat l. c.: Nam etiamsi omnibus ejus scripturis, quibus a Bruxellensi et Antverpiensi discedit, nullus alius nisi conjecturarum honos habendus esset (id quod mihi de omnibus nondum persuasi), eas tamen quas fecit, quoniam mendum in codice unde descripsit, quantum et quale esset testis osculatus vidit omninoque aliquem et

in enodandis scripturarum difficultafibus usum habebat et ut interpolator linguae latinae non plane rudis erat, melius iis qui nec libro Ms. duce ingeniique ope, quid in quoque loco legendum sit, conjiciunt, potuit iste quidem litterarum ductus sequutus aut verum ipsum aut quod verum prope erat vel oculis vel mente assequi.

Ceterum quamquam tot adhuc viri operam L. Annaei libris navaverunt, inter quos haud pauci spectatae atque probatae doctrinae ingeniique, tamen quis neget multa etiam nunc restare in iisdem libris quae aut prorsus careant emendatione, aut leviter tentata melius exhiberi possint? Itaque proposui mihi de nonnullis locis quid sentiam explicare, sperans me aliquid ad emendandos eos collaturum neque in reprehensiones incursurum esse, juvenili novandi et corrigendi cupiditati nimium me indulsisse.

Primae suasoriae thema, quod quum codices initio mutili sint, non traditum est, ex sententiis prolatis ita fere sonasse colligere possumus: *Deliberat Alexander an Oceanum naviget;* in qua materia omnes rhetores alteram tantum partem susceperunt, certe Seneca alterius tantum partis sententias collegit, nempe tales, quibus Alexander nimis ambitiosus atque potentiae avidus posset retineri; et per ejusmodi potissimum sententias putabant optime dissuadere, ut dicerent totum jam orbem terrarum notum vicisse eum, periculosissimum esse eas terras quaerere, quas nunquam aliquis viderit, navigare per caliginosam maris vastitatem nullis aut ignotis sideribus; hoc non esse orbem quaerere, sed orbem amittere. Rhetoris Osci haec redditur sententia (pag. 2 lin. 2 editionis Bur-

siani, quam semper in locis denotandis sequar), ut Bursianus restituit: *Quod noveram vici, non concupisco, quod nescio.* Videlicet ipsum Alexandrum loquentem facit rhetor et quum sententiae ejus inter eas referantur, quibus dissuadetur, ita eum interpretaturum atque verbis versaturum esse Alexandri consilium exspectamus, quo vel maxime ostendatur, quam immane sit et supra modum excedens. Qualia Bursianus et veteres editores receperunt verba, non solum valde debilem sententiam, sed etiam huic loco omnino non idoneam efficere perspicuum est. Estne haec nimia atque insana imperii cupiditas Alexandri, quae reprehenditur? estne in his verbis ulla nota ingenii insolentis, quod acquiescere se in nulla re sinit? Immo vero animus moderatissimus, ad quem coercendum non opus erat sententiis et descriptionibus, quibus deterreri posset nimis audax. Itaque necesse est comparatis iis, quae in codicibus exhibentur, inde conjiciamus integram scripturam. Iam vero negatio *non* omnino non clare perscripta est, sed legitur *num*, quod quamvis saepissime pro negatione in codicibus sit, hic tamen haud majore mutatione obscure scriptum esse pro *nunc* censendum est, ut haec jam exsistat sententia:

Quod noveram vici, nunc concupisco, quod nescio.

Ceterum ne quis suspicetur me in hac re non satis circumspecte processisse neque prorsus opus esse hac emendatione, etiam argumentum afferii potest, quo, id quod in paucissimis conjecturis efficere possumus, ita confirmatur, ut ne dubitatio quidem ulla residere queat. Etenim cum Marillus rhetor eodem modo ipsum Alexandrum dicentem facit, sententiam simillimam legimus ab illo

prolatam (ejusd. pag. v. 27): *Orbem quem non novi quaero; quem vici, relinquo.*

Suasoria sexta, cujus thema hoc est: *deliberat Cicero an Antonium deprecetur*, postquam rhetorum sententias Seneca retulit, paullum devertens a proposito a declamatoribus ad historicos transit, qui mortem Ciceronis descripserunt et quasi laudationem mortuo reddiderunt; quam partem suasoriae nonnulli seorsum positam, uti fecit A. Schottus in editione, inscripserunt: *Historicorum de Cicerone elogia.* Inter hos igitur historicos Bruttedius Niger narrat, quanto gemitu ac fletu quantisque laudibus populus Ciceronem prosecutus sit, quum conspectum esset caput ejus jussu Antonii in rostris positum; et haec postremo verba adjicit (pag. 35 5): *Nulla non pars fori aliquo actionis inclutae signata erat vestigio; nemo non aliquod in se meritum fatebatur: hoc certe publicum beneficium palam erat, illam miserrimi temporis servitutem ac lanienam dilatam in Antonium.* Ita quidem Gronoviis mendosam codicum scripturam restituit. Quaerendum est autem, num haec emendatio, qua hoc certe lucramur, ut sensus satis bonus efficiatur, ex omni parte probandus sit. Atqui vocabulum illud *laniena* quum perraro invenitur apud scriptores latinos, tum ubique significat aut macellum sive officinam, ubi carnes laniantur et venduntur, aut ipsam actionem lacerandi, quae est medicorum, nusquam vero translato, quali hic, sensu usurpatur. Ergo quoniam hoc unicum foret hujus usus exemplum, jure potest dubitari, et, quum sic quoque incertum sit hoc vocabulum, magis etiam in suspicionem vocandum est, quia in codicibus omnino non re-

peritur, sed Gronovii conjectura in ordinem verborum invectum est; illic enim legitur *ac alienam*, quae prorsus corrupta atque emendatione indigere cuilibet videri potest. Sed quum ea, quae adhuc proposita est emendatio, non libera sit ab omni offensione, hoc loco certe videndum hoc erit, num forte litteris, quas praebent libri manuscripti, haud violentius quam Gronovius fecit, commutatis et vocem probabiliorem scribamus et sensum efficiamus, qui quam maxime in hunc ipsum locum cadat. Nec puto, quum vitium semel hoc loco statuimus, difficile esse, quid verum sit, cognoscere. Reputemus enim Bruttedium laudes referre, quas populus rostris circumfusus mortuo Ciceroni tribuerit, et postquam in universum descripserit, his verbis *hoc certe publicum beneficium palam erat* ad singulare atque certum aliquod ejus facinus transire, et quum solum commemoret et ultimo loco, ad summum quidem atque maxime laudabile, ad id dico, quod Catilinae conjurationem oppressisset. At id ipsum inest in iis verbis, qualia restituit Gronovius; inest profecto, sed tam obscure significatum, ut ipse Gronovius haud alienum existimaret in adnotatione exponere, de qua re sermo fieret in hoc enunciato; quae obscuritas eo minus est idonea huic loco, quia debilem reddit sententiam, ubi gravem atque validam, quippe ultimam, exspectamus, praesertim quum inconcinna quodammodo et manca videatur non significato, unde dilata sit in Antonium servitus; denique hoc potissimum aegre ferimus, quod ejus ipsius nomen, quo commemorato apertissime, quantum fuerit beneficium illius publicum, exprimitur, scilicet Catilinae, omissum est. His omnibus compu-

tatis, ubi comparaverimus, quid codd. tradant, paene sponte se offeret lectio *a Catilina* pro eo quod est *acaliena*, ut haec sit tota sententia: *hoc certe publicum beneficium palam erat, illam miserrimi temporis servitutem a Catilina dilatam in Antonium.* Sic et omnia, quae fortasse aliquis vituperare potuerit in ea sententia, quam Gronovius esse voluit, evitata sunt, et ea ipsa, quae hoc loco exspectantur, levissima correctione perhibentur. Etenim ita corrumpi posse nomen Catilinae similibus horum codicum vitiis satis comprobatur. Primum quidem syllaba *ti* ante *li*, quum eandem fere utraque aspectum praeberet, excidit, tum vero, cur littera *m* adjecta sit, inde sine dubio causa repetenda est, quia scriba sententiam verborum non intellegens litteras *ac* notam conjunctionem esse duxit, et, quum antecedat et sequatur casus quartus in syllabam *am* exiens, medio quoque vocabulo eundem exitum adjecit et vocem alienam confecit; cujus vitii nonnulla in Senecae codd. deprehendimus exempla, ex quibus unum ut afferam, compares velim pag. 137. 1, ubi *filiam* scriptum est pro *filiae* antecedente *quemquam* (codd. quamquam).

Denique ad stabiliendam hanc emendationem hoc quoque aliquid conferre videtur, quod etiam aliis-locis, ubi Ciceronis summas laudes atque merita in rempublicam aliquis praedicat aut mortem ut importunam et damnosam deplorat, Catilinae potissimum mentionem facit. Sic Cornelius Severus in fragmento, quod Seneca servavit (pag. 37. 17):

Dejectusque redit votis Catilina nefandis

et in fine pag. 198 in simillima sententia: *Romulus non*

tantam urbem fecit, quantam Cicero servavit. . . . . . Glorietur revocato Hannibale Scipio, Pyrrho Fabricius . . . . . .: nemo hostis Catilina propius accessit.

Eadem pagina Seneca post narrationes historicorum laudationes sive ἐπιτάφια nonnullorum adjicit, quorum primus est T. Livius, qui hoc reddidit Ciceroni testimonium: *Ipse fortunae diu prosperae et in longo tenore felicitatis magnis interim ictus vulneribus, exsilio, ruina partium, pro quibus steterat, filiae morte, exitu tam tristi atque acerbo, omnium adversorum nihil ut viro dignum erat tulit praeter mortem, quae vere aestimanti minus indigna videri potuit, quod a victore inimico nil crudelius passus erat, quam quod ejusdem fortunae compoti fecisset.* Ita Bursianus existimavit restituendam esse scripturam codicum, in quibus inest: *fortunae composito fecisset.* Sed tamen sunt duae causae, cur haud ita verisimile videatur Senecam ipsum ita hanc sententiam perscripsisse; quarum altera ex codicum lectione repetenda est; nam vix intelligere possumus, quomodo librarius, quum *compoti* in exemplari suo invenisset, eo perductus sit, ut *composito* describeret, quod neque ullum vestigium litterae *s* adest neque post aut ipsa littera *o* aut quae similem aspectum praebeat, sequitur, unde illam ortam esse statuamus. Accedit, quod per omnes Senecae libros ubique scribam cognoscimus nimis properantem, ut saepissime decurtasset et omitteret aliquid, nusquam fere adjiceret, nisi forte eandem litteram aut syllabam, aut certe similem nimia incuria bis descripsit, cujus rei post nonnulla exempla afferentur. Altera causa, cur Bursiani emendationem comprobare non

possim, ad sensum pertinet. Primum significatio vocabuli *compos* est mediae quae vocatur vocis et hoc loco istius quidem in malam partem accipiendae, sicuti etiam quod antecedit vocabulum, *fortunae.* Hic usus apud antiquos, apud Plautum praecipue reperitur neque tamen idcirco apud Senecam reprehendendus, quum haud pauca ex scriptis priscorum in libros suos recepisse postea in hac disputatione exponam. Ceterum quaeritur, si ita verba intelligimus, quo referendum sit *ejusdem* fortunae; nam quum significari debeat ejus fortuna, qui victus est, Ciceronis, non ad certum verbum pertinet, sed ex totius periodi argumento concludendum est, quod quamquam ne ipsum quidem omnino refutari potest, tamen anteponendam esse talem scripturam, qua illud pronomen ad rem certis verbis indicatam referatur, omnes mihi concedent. Magis congruit cum codicum vestigiis id, quod Haasius proposuit, *compos item* (hoc est *itē* pro *ito*); sed ne ita quidem Senecam scripsisse ut persuasum habeam impetrare a me possum, quamquam hac scriptura vocabulum *compos* usitatam notionem retinet et verborum *ejusdem fortunae* quae sit notio eo, quod antecedit, *victore*, satis illustratur. Nam quum enunciatum ita sit conformatum: *nil crudelius passus est, quam quod ejusdem fortunae compos item fecisset,* adverbium *item* prorsus supervacaneum esse quilibet cognoscit; ejusmodi autem vocabula, minus necessaria, negligentioris atque laxatioris, sunt sermonis ideoque infringunt vigorem sententiae. At vero hoc ipso loco, quum in extremo membro sit amplioris verborum circuitus, summos ictus sententiae esse et numerose atque concinne orationem cadere oportet.

Itaque aliud quoddam in illis litteris *ito* latere statuendum, quod, quum statim perspicuum sit, quale vocabulum explendo numero et efficiendae concinnitati optime inserviat, non ita difficile est secundum codicum scripram restituere. Et ego quidem syllabam *ito* negligenter a librario descriptam esse pro *victo* arbitror. Hac enim sola emendatione et ratio habita est eorum, quae codices tradunt, et ea quae maxime desideratur vox in ordinem recipitur. Nam quum sextenties singulae litterae exciderunt in his libris incuria scribarum, tum litteram *u* ante *i* facile potuisse omitti ostendit exemplum, quod videmus pag. 80 lin. 22, ubi nomen *Fulvii* corrupte perscriptum est *fili;* ab hac igitur parte non improbanda est et valde verisimilis emendatio. Iam vero mente circumspiciamus, quanto praestantior existat sententia iis, quas alii proposuerunt: *quod a victore nil crudelius passus erat quam quod ejusdem fortunae compos victo fecisset.* Ita oratio nervos atque aculeos habet suisque numeris expleta defluit simulque summa inest concinnitas; nam uti verba praedicata *passus erat* et *fecisset* inter se opporantur, sic vocabulum *victo* primum oppositum est ei quod est *victore*, tum rursus eidem notioni, quae inest in verbis *ejusdem fortunae compos.*

Ceterum haec ipsa dicendi ratio, qua singula enunciati membra per anthithesin sibi opponuntur, in Senecae operibus quam maxime observanda est, quandoquidem ex intimo more et ipsius et aetatis illius profluxerit. Nam praecipue ab ipsis rhetorum declamationibus sermo illius temporis originem duxit.

Illi vero tanto opere genus dicendi antitheticum affectabant, ut non solum ita adhiberent, si ipsa res porrigebat, sed nimio studio captantes interdum longe peterent ipsa materia repugnante, certe non desiderante. Hoc vitium, quod etiam detrimento sententiae antitheto utebantur, optime illustratur exemplo, quod Seneca affert, unde clarissime hoc simul apparet, quanta opera tale dicendi genus in enunciatis formandis omnes amplexi sint.

Flori cujusdam Latronis auditoris, sententiam refert (pag. 258. sq.): *refulsit inter privata pocula publicae securis acies*, de qua haec adnotat: *nunquam Latro sic composuisset, ut quia publicam securem dicturus erat diceret privata pocula.*

Initio pag. 130 Seneca, quum de Junio Othone sermo inciderit, narrat eum quattuor libros colorum edidisse, de quibus ipse hoc facit judicium: *Edidit quidem quattuor libros colorum, quos belle Gallio noster Antiphontis libros vocabat, tantum in illis somniorum est; et hoc vitium ab antiquis, qui artem dicendi tradebant, duxerat — illi enim colores probant, qui non possunt coargui —* . . . . ., quae sequuntur verba in codicibus corrupte ita exhibentur *non ut omniasse ut non esset aliquo homine offensus.* Ultima verba Jahnius correxit in *aliquo nomine offensui*, quae emendatio mihi certissima videtur; ad priora verba Bursianus signum loci desperati apposuit, sub ordinem autem verborum haec adnotat: „pro eo quod est *omniasse* teste Schotto *omnia asseveret* in codice C, quare fortasse scribendum, *omnia asseveraret, sed — esse*“. Ad eum igitur codicem sequendum hoc loco videtur animum inclinasse, quem in

praef. pag. XIV. omnibus illis, quibus a codd. A et B differt lectionibus non majorem tribuendam esse auctoritatem quam conjecturis recentioribus temporibus a viris doctis factis judicat. Iam vero quam infeliciter interdum illius conjecturae factae sint, colligi licet ex nonnullis locis, pag. 9 5 in themate suasoriae secundae, quum false scriptum est in ceteris codd: cum *trecenti*, in cod. C. exhibetur *Troezeni*, ubi rectissime Bursianus scripsit *treceni* et ad illum locum adnotavit: „cum per totam suasoriam semper de trecenis sermo fiat quibus inepte corrector cod. C et editores Troezenos, qui nulli sunt, substituere“ eqs. Alium locum Kiesslingius (Beiträge) tractavit, ubi Bursianus correctionem cod. C recepit; in quo haec leguntur (pag. 156. sq.): *sive isti aliquid excidit sive magna consilia non benevolis exhibut* in codd. B et A *sive exigunt* sine sensu. Iam vero Kiesslingius ostendit solam integrum sensum conservasse epitomen: *sive isti aliquid excidit*, *sive non bene tegit voltus magna consilia;* ergo Senecae verba fuisse *sive magna consilia non bene voltus texit* scribam vero cod. C sua conjectura, ut, quamquam non bonum, tamen sensum efficeret, scripsisse *exhibuit*.

Eadem licentia illum scribam quum hoc, de quo agitur, loco usum esse appareat, ex sola lectione codd. A et B progrediendum esse in emendatione arbitror; tamen propter ea, quae Hoefigius (l. c. in praef.) de hoc codice censuit, demonstrare mihi videtur opus esse conjecturam, quam scriba cod. C proposuit, non posse hoc loco accipi. Et primum quidem ne ita quidem, si receperimus hanc scripturam codicis deterioris, intellegi

possunt haec verba nisi satis violenter mutata, id quod ostendunt a Bursiano ad hunc locum adnotata; deinde etiamsi mutaverimus, sensus efficietur imbecillis atque languidus; immo vero hic Senecam, ut erat homo ad jocandum semper promptus, postquam Gallionis facetum de Junii Othonis libris judicium in mentem ei venit, et ipsum salsum aliquid atque commodum de iisdem proposuisse vel maxime verisimile est. De verbo asseverandi autem cogitare, quod in uno codice exstat, praesertim cujus inter omnes explorata sit interpolatio, quod ut retineatur meliorum codicum corruptela veri prorsus dissimilis statuenda est, valde lubricum mihi videtur. Equidem pro certo habeo additum esse a scriba illius codicis, quia inde fortasse aliquid auxilii loco corrupto afferri posse existimavit.

Itaque quamquam hoc loco in codice perquam male perscripto me integram scripturam accurate restituturum esse non audeo polliceri (namque eadem fere probabilitate plura hic possunt excogitari), hoc tamen mihi persuasissimum est, si minus ipsa verba, sensum horum verborum me saltem esse redditurum. Etenim, si quidnam singula membra significent, quonam modo sese excipiant deinceps sententiae qualisque earum sit processus, quaerimus, quum simplex atque aperta decurrat oratio, quid in ultimo enunciato Seneca dicere debuerit, ex iis, quae antecedunt, facile conjectura assequi possumus. Itaque primum quidem narrat a Gallione illos libros appellatos esse libros Antiphontis; pertinet autem hoc judicium ad eam formam, qua potissimum Junius Otho in coloribus effingendis uti solebat, nimirum sem-

per somnia narrabat, ut libri ejus colorum similes essent Antiphontis libris, quem Suidas vocat onirocritam. Optime hunc illius morem Seneca explicat pag. 233, 7: *Otho Junius pater praesagiis quibusdam et insomniis hanc fortunam praenuntiantibus agitatum se competisse dixit. Erat autem ex sommiatoribus Otho, ubicunque illum defecerat color, somnium narrabat.* Tum addit explicandi causa: *tantum in illo somniorum erat.* In hoc igitur enunciato vocabulum *somnium* propria notione adhibitum est, nihil enim aliud adhuc perstringitur atque vituperatur, quam inepta in coloribus Junii Othonis narratio somniorum. Jam vero in iis, quae sequuntur, ad aliud vitium, quo iidem libri praeterea laborent, transit; quod quorsum pertineat ostendunt verba parenthetice interposita: *illi enim colores probant, qui non possunt coargui*; ex toto igitur sententiarum processu nulla alia hoc loco potest effici quam haec: non modo vitium habet somniandi, verum etiam somnia ejus ita comparata sunt, ut ea, quae narrantur, coargui non possint ideoque semper sint aliquo nomine offensui. Itaque jam hoc spectandum est, qua emendatione talem sententiam possimus his verbis subjicere; in quo nil difficile est nisi hoc, quod plus una ratione effici potest. In hac tamen re omnes mihi assensuros esse mihi est persuasum ante *omniasse* excidisse litteram s, deinde prima verba *non ut* transponenda esse, certe negationem primo loco non retinendam.

Jam vero si in Hoefigii sententiam concedimus, quam loco supra citato exposuit, inde, quod scriba codicis *C* *omnia asseveret* scripsit, concludere fortasse possumus fuisse in vetusto exemplari: *ut non somniasse videret'* = *videretur*, et quum duobus litteris *id* obscuratis scribae

codd. A et B totum omisissent vocabulum, quod agnoscere non poterant, illum ductum litterarum secutum conjecisse: *asseveret;* tamen hoc quoque vix verisimile videtur, sed potius utpote merae interpolationis omnino nullam rationem scripturae cod. C. habendum esse arbitror. Nam profecto ille quidem paucis locis lacunas codd. A et B rectissime explevit, sed ejusmodi illae sunt, ut ipsius conjectura integram scripturam assecutum esse neque vero in exemplari vetusto invenisse eum jure contendere possimus (sic pag. 15,6 adjecit *honores;* ejusd. pag. lin. 11 *loci*) Neque minus interdum idem librarius Senecae verba bene intellegens lectionem optime emendavit. Ceterum ex ipsis ejus emendationibus cognoscere licet eum descripsisse ex exemplari, quod iisdem fere laboravit vitiis, quibus codd. A et B; Sic pag. 41,31 in codd. B inest *clurior* (ut Haasius) vel *durior* (uti Bursianus), certe vocabulum obscure perscriptum, in cod. A majore corruptela *crulior*, et hanc ipsam scripturam procul dubio scriba cod. C invenit, emendavit enim satis scite *crudelior.* Eodem cadit ille locus, de quo Kiesslingius egit; dein pag. 335,11 exhibent codd. A et B *ceptoribus* pro *emptoribus*, ubi ille conjecit *praeceptoribus;* quare vix putarem hic in scriptura cod. C reliquum esse aliquid integrae aut antiquae lectionis. Denique, quod dicit Hoefigius melius iis qui nec libro manuscripto duce ingeniique ope quid in quoque loco legendum sit, conjiciant, illum potuisse, ideoque respiciendas ess ejus lectiones, huic rei vix tantum tribuerim. Nam sicuti omnium fere, qui illa aetate artem criticam exercebant, in afferenda loco corrupto medicina nimia traditae lectionis incuria recte incusatur, sic ab hoc quoque

idem peccatum esse intelligimus primae statim suasoriae initio, de quo Bursian. praef. pag. XIII, ex iis verbis quae leguntur pag. 23,12, ubi eodem fere modo atque eo, de quo agitur, loco quum corrupta essent verba *exide erit*, interpolavit *ex vi scientiae* (optime tamen Bursianus *ex fide. Erit*); ex aliis multis exemplis. Ob has igitur causas neque ipsam lectionem cod. C recte se habere et ne ex ductibus quidem litterarum quidquam subsidii repeti debere hoc saltem loco putarem.

Simplicissima mihi quidem ratio sensum, quem exspectamus, reddendi haec videtur, ut priorem negationem de suo loco exturbatam ante verba quae sunt *aliquo nomine* reponamus, et conjuntionem *ut* negligentia librarii oculis recurrentis post verbum *somniasse* false repetitam esse statuamus. Itaque haec integra Senecae verba fuisse contendo: *et hoc vitium duxerat* —, *ut somniasse non esset non aliquo nomine offensui.* Simile vitium reperimus pag. 119,27, quem locum Kiesslingius tractavit, ubi in codd.; *qua enim deos cum votis patris vidimus certantis. Et tutior* eqs., quum recte epitome exhibet: *Tutior enim eqs*, itaque transposita est tum corrupta vox *enim*. Praeclarum vero exemplum ejusdem transpositionis suppeditant verba pag. 256,10, ubi in controversiarum codd. haec inveniuntur: *Quaedam controversiae sunt, in quibus factum defendi non potest, excusari potest; ex quibus est et haec; non possumus efficere, ut propter hoc sit non reprehendendus, non speramus, ut illum judex probet, sed ut dimittat; itaque sic agere debemus tamquam pro facto non emendato, non scelerato tamen.* Sed quod facinus judicem probaturum non speramus, propter quod

non possumus efficere ut Flamininus non sit reprehendendus, certe tale est, quod excusari non potest; e contrario, quem judicem dimissurum speramus, quem quamquam non emendatum, tamen non sceleratum esse censemus, is est, cujus factum defendi possit. Integrum sensum epitome servavit: *Quaedam controversiae sunt in quibus factum defendi potest, excusari non potest.* Itaque quum pro eo, quod codices praebent: *defendi non potest, excusari potest*, ut veram lectionem restituamus, scribendum sit: *defendi potest, excusari non potest* prorsus idem vitium librarii reperimus, quod eo loco, de quo agitur, locum habere censeo.

Ceterum alia exempla si desideres, conferas, quaeso, ea, quae collegit Muellerus (Mus. Rhen. XXI eo loco, ubi agit de verbis, quae leguntur pag. 49,27).

Haec igitur verba si receperimus, non modo eum ipsum sensum, quem postulamus, expressum habebimus, sed etiam Senecae judicium quum lepidum atque jocosum tum salsissimum et mordacissimum. Nam quum dicat ne in somniis quidem eum esse sine offensu, summa salis acerbitas inest in duplici significatione vocabuli *somniasse*, quod primum quidem ad idem redit, ad quod prius illud *tantum somniorum est*, scilicet ad J. Othonis somnia narrandi morem, itaque propria notione dictum est, tum vero simul sensum paullum translatum exhibet, ut significet id quod halucinari atque nugari, temere atque inepte aliquid excogitare et proferre; nam hoc loco non jam eos colores videtur intelligere, in quibus somnia narrabantur, sed omnino eos, qui non pos-

sunt coargui. Praeterea duae negationes pro gravi affirmatione positae, quod genus dicendi Seneca multis locis testantibus valde dilexisse videtur, augent etiam judicii festivitatem.

Et ut intellegas, quam recte illud judicium fecerit, exemplum talis coloris refert pag. 82,16: *Othonem Junium patrem memini colorem stultum inducere, quod minus ferendum est, quod libros colorum edidit. Fortasse, inquit, poenae se praeparavit, et ex quo peccare coepit, cadere condidicit.* Ceterum similes verborum aculeos et aspera atque maligna cum facetiis judicia, ubicunque occasio tulit, Seneca rhetoris alicujus sententiae adnectit. Sic pag. 291,20: *Orationes septem edidit* (Scaurus), *quae deinde senatusconsulto combustae sunt. Bene cum illis ignis egerat*; pag. 393,3 *Senianus rem stultissimam dixit: dives me semper contempsit, nunquam nisi pro mortuo habuit. Ut aliquid et ipse simile Seiano dicam, post hanc sententiam semper Seianum pro mortuo habui.*

Quum Senecae libri innumerabilibus vitiis obscurati traditi sunt, tum eae sententiae, quae a graecis rhetoribus graeco sermone prolatae sunt. Graecae enim non solum linguae, sed etiam litterarum ille scribae erant imperitissimi ideoque, uti Bursianus dicit in praefatione »litteras graecas pingendo imitati sunt, quantum potuerunt, quo factum est, ut monstra evaderent ad quae domanda est ubi Herculis viribus opus esset«. Accedit quod hae sententiae paucis plerumque verbis absolutae, summas argutias continent subtiliter excogitatas et haud raro alte repetitas, quas, quum adminicula et subsidia, quae alioquin codicum scriptura praebet, valde incerta sint,

difficillimum est reparatu. Itaque quamquam nonnullos locos, quos Bursianus emendare se non potuisse ingenue profitetur, tentavi, tamen, ne in hoc vitium delabar, quod vitavit Bursianus, nempe ne nimis incerta proponam, haec omittam. De uno tamen loco disserere mihi proposui, quippe cui talem emendationem allaturum esse arbitrer, quae certis argumentis possit confirmari.

Sunt verba extrema controversiae IX pag. 132,27. Ibi praeter morem fere sine mendacio haec leguntur: *περιελευσόμεθα τέσσαρες ἑνὸς ἀποῤῥητοει*; namque ultimum verbum Bursianus, quod medicinam reperire non potuit, iisdem litteris, quibus in manuscriptis traditum est, in editione posuit. Jam vero videamus, quid in hac sententia dictum esse debeat. Thema controversiae hoc est: *Dives tres filios abdicavit; petit a paupere unicum filium in adoptionem; pauper dare vult*; *nolentem ire abdicat.* Hermagorae sententia, de qua hic agitur, inter eas enumeratur, quae dicuntur ex parte filii abdicati. Jam quum cetera verba clara sint, facillime potest concludi, quid hic ille rhetor protulerit; videlicet ut causam afferret, cur filius a patre abdicari quam a divite adoptari maluisset, facit illum dicentem se non dubitare, quin quattuor futuri essent unius hominis abdicati; nam qui tres jam filios abdicare potuisset, quomodo non abdicaturum esse quartum quoque filium et eum quidem adoptatum. Eandem pro filio sententiam etiam alii rhetores proferebant. Conferamus igitur Cestii Pii verba pag. 118,9: *Dives sustulit unum filium; non fuit contentus, quid enim erat diviti unus? tres sustulit; poterat unum in*

adoptionem dare, Abdicavit unum, alterum, tertium. Jam nihil putatis diviti superesse? quartum abdicat.

Blandi sententiam pag. 120,12: *Tres genuit, quattuor abdicat.* Itaque, quum qualis sensus fuerit, pateat, neque ulla dubitatio esse possit, praesertim quum cetera vocabula omnia ei sententiae, quae exspectatur, aptissima sint, nihil aliud quaeritur quam hoc, qua emendatione efficere possimus ut eae, quae supersunt, litterae eum significent, quem Latini vocant abdicatum. Et in hac re nemini profecto non in mentem veniet vox **ἀπόρρητοι**, quae propter similitudinem litterae **ε** et **ο** scribebatur **ἀπορρητοει**. Sed hoc obstat, quod quamquam **ἀπόρρησιν** de abdicatione et **ἀποῤῥῆναι** de abdicando dici reperimus, nusquam tamen apud ullum scriptorem Graecum adjectivum **ἀπόρρητος** ea significatione, ut sit abdicatus, positam deprehendimus. Haec quidem sine dubio causa erat, cur Bursianus non ausus sit hoc vocabulum recipere, quum in codicibus paene emendate descriptum sit, ut me non dubitaturum fuisse quin reciperem, libere profitear, etiamsi non posset aliis exemplis coargui.

Potest vero hoc verbo in ea, quam desideramus, notione usos esse Graecos demonstrari. Moeris enim lexicographus in libro qui inscriptus est »**λέξεις Ἀττικαί καὶ Ἑλληνικαί**« sub voce **ἀποκήρυκτοι** (edit. Piersoni pag. 83) testatur: »**ἀποκήρυκτον ἀττικῶς, ἀπόρρητον ἑλληνικῶς, παρ' οὐδενὶ τῶν παλαιῶν.**« Ad quae verba Piersonus haec adnotat: »Eidem Hudsoni mutanti **ἀπόῤῥητον** in **ἀπόκληρον** adsensum praebere non possum. Quamquam enim **ἀπόῤῥητος** longe diversa ratione in veterum scriptis occurrit et vel arcanum vel vetitum significat, analogia tamen defendi

potest; ἀποῤῥηθῆναι enim apud Platonem de legg. XI pag. 973 F idem est quod ἀποκηρυχθῆναι; et Suidas: »ἀπόῤῥησις σημαίνει καὶ ἀποκήρυξιν παιδός· ἀποῤῥήθη ἀντὶ τοῦ ἀποκηρύχθη. Itaque eadem ratione ἀπόῤῥητος erit abdicatus.« Rectissime hominem doctissimum disputasse hic ipse locus, de quo agitur, ostendere mihi videtur. Nam quum Hudsonus hanc *vocem*, utpote quae nusquam apud scriptores aetate inferiores inveniretur ita usurpata, delere voluit, perhibita est in Senecae libris, neque vero minus, si quaerimus argumentum vocis ἀπόῤῥητος ita adhibitae, Moeris suppeditat, ita, ut, si forte alterutro loco per se respecto aliquid dubitationis resideat, utroque comparato, quum inter sese praesidio sint, omnis plane sublata erit.

Jam ad aliam quaestionem transeam, quam, etsi non satis huc pertinet, tamen quum singulare quoddam dicendi genus, quod interdum in Senecae libris apparet, examinandum atque illustrandum simul sit, hoc statim loco absolvam.

Namque Muellerus (Zeitschrift für Gymnasien 1868 Febr.) quum de nonnullis locis disserit, qui in epitoma non epitomatoris, sed codicum culpa vitiose exhibiti sunt, confert etiam ea, quae leguntur libri noni controv. secunda (pag. 434,9): *Obicio luxuriam, histrioniam, jocos?* quae respondent controversiae verbis pag. 250,26: *Obicio luxuriam, obicio histrionum jocos?* De hoc discrimine verborum controversiae et epitomes ita judicat, vocem *histrionia*, quoniam nusquam apud scriptores Latinos exstet nisi in Plauti Amphitruonis prolog. v. 90, codicum mendacio descriptam esse pro eo, quod in controversia

est *histrionum* quod facile potuerit a librario commutari. Bursianus sane non recte fecit, quod in controversiis *histrionum*, in epitoma *histroniam* recepit. Illa enim si germana atque integra fuit Senecae scriptura, sine dubio admittenda erit; nam epitomator, qui simplicitati potissimum verborum studuit, qua ratione de suo vocabulum composuisse existimari potest, quod propter nimiam raritatem etiam ipsi Senecae ab hominibus doctis derogatur? Verum tamen ne Muellero quidem concedendum esse arbitror. Superest enim una haec conditio, quod vera scriptura corrupta est et in epitomes codicibus solis integra servata. Ita vero rem se habere ut persuasum habeam, argumenta, quibus ipse commotus sim, quaeque idonea et probabilia esse etiam ceteris spero me persuasurum, exponere jam conabor.

M. Annaeus enim laudatorem sese temporis acti esse non solum aperte nonnullis locis exponit, verum etiam certo sermonis idiomate interdum testificatur; nam discimus non uno exemplo antiquae eum elocutioni operam dedisse; plerumque autem has formas minus usitatas a scribis non intellectas et corruptas esse.

Ac primum quidem hanc qua sibi placuit antiquitatis affectationem in antiquis pronominis relativi et particulae *quum* formis animadvertere licet (*quoius*, *quoi*, *quom* et similia), quae permultis locis aut a Bursiano aut a Kisslingio et Muellero restitutae sunt; itaque non dubito quin pag. 119,16 restituendum sit *quom* pro codicum scriptura *quā*, praesertim quum etiam alias hanc ipsam corruptelam *quā* pro *quom* reperiamus (pag. 103,31);

praeterea in exitu nominis, veluti *aequos* pro *aequus* 217,18, *iniquom* pag. 233,20.

Tum vero voces antiquas recepit aut significationem atque constructionem vocis alicujus antiquam et suo tempore obsoletam revocavit. Pag. 26,28 reperitur forma *hortavit*, qua de Priscianus pag. 797 haec: »Praeterea plurima inveniuntur apud vetustissimos, quae contra consuetudinem activam pro passiva, vel passivam pro activa habent terminationem — *horto* quoque pro *hortor* et *largio* pro *largior* dicebant, quae sunt communia.«

Eandem formam restitui voluit Acidalius in Plauti Asinaria v. 442, ad quem versum Bothius rectissime mihi videtur haec adnotavisse: »Ita reponendum esse suspicabatur Acidalius. Sane prae hoc friget vulgatum *orat*, et facile fieri potuit, ut *ortat* pro *hortat* primum scriptum postea magis etiam degeneraret«. Neque minus probavit Acidalius hanc suam conjecturam Fleckeisenio, qui *hortat* in ordinem verborum recepit (in edit. Teubnerianae tom. II pag. 30).

In Senecae certe loco omnino non tendanda est haec forma, quoniam *hortavit* non potest vitiose scriptum esse pro ulla terminatione passiva.

Item pag. 120,28 Bursianus optime veram scripturam restituit *pestis* pro *festis* haec adnotans: »*pestem* pro *insania* dixit Plautus Amph. v. 581.«

Initio pag. 27, ea suasoria, qua Athenienses deliberant, an tropaea Persica tollant, Xerxe minante rediturum se nisi tollerentur, Seneca, postquam multas sententias retulit eorum, qui Xerxi, ut hosti superato, a victoribus nullo modo concedendum esse censebant, sed vel maxime

ad conservanda tropaea et ad bellum cum Persis recipiendum excitabant, unum Gallionem contra hos omnes facit dicentem. Qui primum explicat tropaea tempestatibus et aetati obnoxia et mox peritura, gloriam autem atque memoriam victoriae mansuram esse etiam illis sublatis, tum ita pergit: *bellum suscipiendum fuisse pro libertate, pro conjugibus, pro liberis; pro re supervacua et nil nocitura, si fieret, non esse suscipiendum.* Opponit igitur videlicet ea, pro quibus antea bellum cum Persis susceperant, iis, pro quibus nunc suscipere vellent, nempe pro tropaeis; et hanc rem esse contendit supervacuam nec dignam, pro qua iterum periclitentur; cum vocabulo *supervacua* autem conjungit *et nihil nocitura si fieret*, quod codices exhibent. At vero quo modo possit esse dehortantis, eam rem, a qua dehortatur, appellare *nihil nocituram*, quam potius adhortantis, intellegi nequit. Tum demum id, quod exspectamus, efficitur, si dixisset: *nihil porfutura* aut tale aliquid. Et optimam hoc loco mihi videtur Sauppius, homo in arte critica spectatissimus, quum ostendissem ei vitium horum verborum, conjecturam proposuisse, hoc ipsum respiciens Senecam libenter consectatum esse formas antiquas, ante *fieret* excidisse syllabam *de* et emendandum esse *defieret*, verbum minus usitatum apud scriptores illius aetatis, crebrius vero apud priscos poëtas (Ennius apud Ciceronem Tuscul. III 19, compluries Plautus atque Terentius).

In numerum imitationum vetustae elocutionis etiam illud, quod legitur pag. 61,21, referendum erit: *scio quam acerbum sit supplicasse exteros*, de qua constructione Bursianus: »accusativi casus cum supplicandi

verbo juncti quamquam nullum ex classicis quos vocant scriptoribus exemplum novi, tamen hunc usum non abhorrere a linguae ingenio docet vetusta formula a Festo relata, quae est *sub vos placo eqs.*

Neque denique usus verbi *surgendi,* qualem reperimus pag. 25,14, qualemque etiam pag. 15,17 statuendum esse iis, quae post exponam, comprobaturus esse mihi videor, transitivum dico, non videtur aliquid redolere antiquitatis; namque quum apud Plautum eundem usum deprehendamus, perraro praeter hunc ipsum locum haec verbi forma notione activa adhibita est, sed potius forma non contracta *subrigere* sive *surrigere.*

Itaque quoniam Senecam sermoni interdum formas antiquas interspersisse cognoscimus et Plauti quidem comoediis prae ceteris eum operam dedisse conjicere licet, quidni putemus eum *histrioniam* scripsisse, propriam Plauto vocem, praesertim quum alibi quoque ex eadem fabula, ex Amphitruone, hausisse eum appareat? Adde denique, quod, quum epitomatori hoc vocabulum sine dubio abjudicandum sit, ne in codicibus quidem epitomes *histrionum* in *histrioniam*, vocem raram vixque librariis illis notam, mutatum esse verisimile est.

Jam eo perveni, ut agam de quibusdam locis, in quibus verba praecipue improbanda sunt, de sensu minus quaerendum, quique expeditiores videntur ad emendandum.

Initio suasoriae secundae, qua Lacones contra Xerxem missi, quum ceteri Graeci fugerint, deliberant an et ipsi fugiant, haec verba Arellii Fusci, qui ut remaneant suadet, in codicibus leguntur: *O Lacedaemonii, et adversus barbaros non reverimini opera vestra, non animos, non*

patres, quorum non exemplum ab infantia surgit ingenium. Editores vestuti, lacunam statuentes, ita totum locum perscripserunt: . . . . . . *non patres, quorum nos exemplum moveat? Ab infantia surgit ingenium*, quod Bursianus in ordinem recepit. Sed valde veri dissimile mihi videtur Senecam ita scripsisse, quum et nimis licenter scripturam, quae tradita est, commutaverint et sententia parum probabilis efficiatur. Nam quid sibi velit enunciatum: *ab infantia surgit ingenium* non satis apertum est; eadem vero verba, quae per se dicta debilia certe sunt, postquam cum iis, quae praecedunt, conjunxeris, cum vocabulo *exemplum* potissimum, paullum mutata integrum et commodum sensum redditura esse facile quilibet cognoscet. Ad eandem cogitationem Bursianus videtur deductus esse, quum proponat hoc loco scribere: *quorum nobis exemplum ab infantia surgit ingenium.* Et sensum quidem eum hac emendatione, quem exspectamus Senecam expressisse, assecutum esse pro certo habeo; unam autem hanc quaestionen restare, num forte idem effici possit leviore mutatione.

Ac primum quidem haud necessarium duco casus verbi *exemplum* mutetur, quum alterum apud Senecam exstet exemplum, quo apparet eum verbo surgendi in transitiva significatione usum esse, quod legitur pag. 25,14: *Credite mihi, difficilest adtritas opes recolligere et spes fractas novare et penitenda acie in melioris eventus fiduciam surgere.* Neque solum in eo prorsus congruit hoc exemplum cum eo, de quo agitur, loco, quod illic quoque activa est notio verbi, sed in eo etiam, quod translato utrimque sensu idem verbum a Seneca usurpatum est; cujus usus

rarissima et nulla fortasse exempla apud ceteros invenientur. Difficilior est quaestio de negatione, quam codd. exhibent; ubi retinuerimus, enunciatum: *quorum exemplum* etc. pro interrogativo accipere debebimus, quod paullo languidius et molestius dictum esse videtur. Sed veri similius quam id, quod Bursianus conjecit, potest proponi negationem omnino delendam esse, quoniam hoc ipso loco facillime potuit in ordinem verborum false interponi; nam quum et syllaba antecedat simillima et ternis vocabulis prioribus negatio praeeat, librarius sonitum in mente retinens (neque inaudita ejus modi vitia) oculorum simul atque memoriae errore inductus etiam post pronomen relativum repetivit. Itaque ita restituenda esse haec verba existimo: O *Lacedaemonii, et adversus barbaros non reveremini opera vestra, non animos, non patres, quorum exemplum ab infantia surgit ingenium?*

Pag. 11,8 mendacium codicum mihi deprehendisse videor, quale etiam aliis locis a Kiesslingio et Muellero patefactum est. Ibi Porcius Latro, ut Lacedaemonios persuadeat, ut remaneant in praesidio et Xerxem sustineant neve rumori terga vertant, haec dicit: *Vix in victoria dedecus elui potest,* ubi, quid sibi velit praepositio *in*, non liquet, nec dubito quin Seneca scripserit: *vix victoria dedecus elui potest*, praepositionem autem exortam esse duplici scriptura ejus, quod est *vi*, quum utrumque in manuscriptis discerni vix potuisset. Eodem modo pag. 36 init. vocabulum *vi* ortum est, quod summo jure delevit Kiesslingius (Mus. Rhen. XVI), sic *quantum* pro *quam* 48,22, *quaedam in juria* pag. 62,28, quum recte epitome *quaedam jura;* pag. 357,15 codd. Parisinus

exhibet *ante suam impudicitiam*, ubi ceteri et controversiarum et epitomes codices, quoniam adjectivum postposuerunt, rectam servarunt lectionem: *ante pudicitiam suam*. Nec non propter hanc ipsam litterarum similitudinem in contrarium librarii inciderunt vitium, ut alteram partem omitterent. Ita recte Bursianus pro eo, quod. codd. praebent, pag. 216,9, *reorum irent*, posuit *reorum inirent;* et pag. 10,28 post *nunquam* praepositionem *in* ordini inseruit. Idem vitium in codd. inesse censeo pag. 98,27, ubi scribendum erit: *In magnis sceleribus jura naturae intereunt* pro eo, quod nunc legitur: *Magnis sceleribus* eqs (cf. de hoc vitio etiam Mueller. Mus. Rhen. XXI).

Pag. 11 lin. 30, ut tota sententia nervos atque calores, quos desiderat, habeat, enunciatum quod est »*itane bello quidem, sed nuntio vincimur*« pro interrogativo erit accipiendum. Namque apud Senecam tale dicendi genus maxime cadit in eam orationem, qua indignatio summusque dolor exprimatur, quod in Cestii Pii oratione locum habere sententiae, quae circumdant, ostendunt. De quo usu hujus particulae, quum apud Senecam late pateat, paullo copiosius disserere licebit. Handius in Tursellino: de partic. lat. III pag. 495 haec exponit: »Affirmationem, quam in recta oratione *ita* occupat, in interrogatione obtinet. *Itane* igitur instantius interrogat, an sit res, quae incredibilis aut dubia est visa, sed ab aliis affirmata. Quare ex parte aliqua erravit Beierus, qui monuit hac formula negari potius rem, quam affirmari. Quaerit enim, qui sic loquitur, de veritate rei mirabilis vel incredibilis ita, ut affirmationem

praesumat. Simplex ita non videtur hanc interrogationis formam induisse. Quae omnia rectissime videtur homo doctissimus exposuisse nisi, quod dicit solam formam *itane* inservire huic sensui, quum Senecam quidem nullum omnino discrimen in usu utriusque particulae statuisse patebit, si comparaveris quae leguntur pag. 220,7: *Non vitiavit, inquit, quum liceret illi. Itane nuptiis dignus est, qui indignus est cruce?* cum simillima sententia pag. 190,22: *dixisses, inquit, te non posse. Ita tu nesciebas, putasti me posse occidere?* et 222.6: *Itane, furcifer, tu potuisti dominam complecti?* cum verbis pag. 223,15: *Ita iste dexteram sororis meae nisi dum manumititur contigit?*

Ceterum non semper eandem notionem hujus particulae haud raro in sententiis rhetorum adhibitae exempla ipsa ostendent. Primaria certe haec est significatio, ut sit interrogantis de re incredibili, sed ab aliis affirmata, tum quidem potissimum, ubi sola responsio affirmativa ex iis, quae praecedunt, aut ex ipsa re exspectari potest. Rhetores enim in argumentatione hac formula utebantur, ut primum aliquid ponerent, quod verum esse adversarius concesserat, tum tale aliquid inde colligerent, quod aut mirationem aut indignationem moveret. Nam quum propria esset mirantis formula, mox, quippe qui mirantis simillimus esset, etiam indignantis erat. Itaque, ut exemplum afferam, ubi mera affirmatio est cum miratione expressa 118,17: »*Ita nos pauperes sumus, qui habemus, quod divites rogent*« (quo loco particula procul dubio in ordinem recipienda est, quam in codd. omissam servavit epitome 348,18). Indignatio accedit in his: pag. 271,12 illa controversia, qua

de filio, qui tyranni jussu patrem pulsavit, agitur: *Pater, inquit, voluit. Ita tu non tyranno tantum, sed etiam patri dignus parricidio visus es?* ubi forma interrogativa detracta idem fere sensus exstaret, detraheretur tamen significatio valde hac re mirantis et indignantis judicis, et affirmationem jam ipsa quaestione esse praesumptam neque exspectari ostendunt verba „*pater voluit*“. Eadem vero prorsus ratio est loci, qui legitur pag. 139,25, ubi codices: *Ignovit, inquit; et aliquis ante me rogatus est?* Conjunctionem *et* debilem hoc loco esse atque vanam cuivis liquet; cujus loco aptissime exhibet epitome *ita;* pag. 222,6: *Itane, Furcifer, tu potuisti dominam complecti*; pag. 304,10: *Itane sic peribunt decem iuvenes propter dipondios tuos?* Huc pertinet etiam illud exemplum, unde digressus sum pag. 12,1: *Ita ne bello quidem, sed nuntio vincimur?* Nec minus existimo hanc formulam interrogativam restituendam esse pag. 84,1, ubi vir fortis, qui in bello manum perdidit, de filio, qui imperante patre adulterum non occidit: *Arcessitus, ut occideret adulteros, venit, ut dimitteret. Ita ego manus etiam pro adulteris perdidi? Steti* eqs.

Summae vero indignationi optime conveniunt cavillationes atque ludribria, quibus haec formula quam maxime idonea esse videbatur. Namque postquam posuerunt id, quod ab adversariis prolatum rejicere studebant, inde concludunt talia, quae nemo possit affirmare utpote absurda quorumque contraria vera esse appareret, aut quae summo detrimento essent affirmanti; et ut cum ironia quadam lubribrium immiscerent, ita interrogabant, quasi adversarii essent etiam haec affirmaturi. Inde

fortasse factum est, ut nonnulli existimarent hanc interrogationis formam usurpari, ut res negaretur, quos refellit Handius; nam proxime ad negationem hic usus accedit.

Controv. libri primi tertia, ubi de incesta agitur, quae invocata antequam deiceretur Vesta, quum dejecta viveret, ad poenam repetitur, V. Gallus, ut eos refutaret, qui objecerant deorum tutela eam servatam esse, dixit eum, qui illud contenderet, contendere hoc quoque debere damnatam deos absolvi maluisse quam sacerdotem; sed ita hunc sensum perhibuit: *Ita dii damnatam absolvere maluere quam sacerdotem?* Eadem controv. pag. 78,25, *Ita lex de sacerdotum jure in judicio quaeri voluit, de judicibus in supplicio?* 220,6 de servo, cui dominus filiam, quam permittente tyranno non vitiaverat, collocavit, pater filiae: *non vitiavit, inquit, quum liceret illi;* ad quod filius, qui dementiae patrem accusaverat, haec reponit: *Itane nuptiis dignus est qui indignus est cruce?* Certe sensus negativus prodibit, ubi demseris ironiam atque cavillationem; quae quidem etiam in oratione recta inesse possunt, si dictum esset: „dignus est nuptiis, qui indignus est cruce," hac interrogativa tamen forma clarius exprimitur. Erat autem hoc genus interrogationis captiosissimum atque maxime insidiosum, quoniam eum, quem interrogaverant, cogebant et ipsa quaestionis forma quodammodo alliciebant, ut, si perstaret in sententia sua, affirmaret rem aut prorsus absurdam aut quam affirmare non posset nisi ipsius damno.

Initio suasoriae quintae Arellius Fuscus demonstrare vult Atheniensibus, Xerxem non esse rediturum et inde

potissimum argumentum repetit, quod denuntiasset se esse venturum; pag. 24,28, haec sunt ejus verba: *Non denunciaret si venturus esset neque armaret nos nuntio nec instigaret victricem Graeciam —: magis superveniret improvidis jam et arma indenuntiata moveret.* In codd. legebatur: *improvidis nam* eqs. Quae scriptura quum non posset retineri, Bursianus correxit *nam* in *jam*, sub ordinem tamen adnotavit: fort. scrib. *nam et (antea) arma indenuntiata moverat.* Sed posterior haec nimis licenter facta esse videtur emendatio, quum duobus locis mutatione opus sit, neque illud *jam* recte se habere putarem. Nam si hanc particulam accipimus, ad verbum referenda est, hoc sensu: magis jam superveniret, ubi improvidi sumus. Quod quamquam optime in hunc locum quadrare concedo, tamen et quod posita est particula post adjectivum *improvidis*, indicare videtur ad hoc tantum esse referendum; et multo magis adjectivum additamentum desiderare, quale est *etiamtum*, quam verbum praedicatum particulam *jam* nemo non intelliget. Itaque censeo in vetusto exemplari quum omissa esset littera *e*, librarios pro eo, quod supererat, *tiam* scripsisse *nam;* veram igitur lectionem esse hanc: *magis superveniret improvidis etiam et arma indenuntiata moveret.* Neque in eo haerendum est, quod non legitur *etiamtum;* nam simplex particula etiam quum omnino adsciscit eandem significationem temporalem, tum post negationem potissimum aut notiones negativas usitatissime ita ponitur, ut prorsus sit idem, quod vernaculo sermone vocamus „*noch*" sive „*immer noch*". Simillima sunt haec: *non satis pernosti me etiam* Ter. Andr. III 2,23, *non dico fortasse etiam* Cic.

Tuscul. I 6,12; *hunc ego nunquam videram etiam* Ter. Eunuchus V. 8,62 (cf. Hand. Tursell. II pag. 573, ubi plura exempla congesta sunt). Tum apud Senecam exstat locus, quo omnes codices recte praebent *etiam* eadem notione pag. 95,10, ubi legitur: *solent qui coguntur a patribus ut uxores ducant illa dicere: non sumus etiam nunc apti nuptiis* quae prorsus ita dicta sunt ac si dixisset: *non sumus jam nunc apti nuptiis.*

Pag. 57,24, ubi injectus est sermo de conditione vitae humanae, haec sunt verba: *Omnis instabilis et incerta felicitas est. Quis crederet jacentem supra crepidinem Marium fuisse consulem aut futurum? quid porro tam longe exempla repeto? tamquam modo sit qui illum vidit.* Ultimum enunciatum quid significet, si ita perscribimus, obscurum est. Bursianus, quum alius codex praebeat *modum*, scribi vult: „*tamquam opus sit* etc.“ Sed magis puto vestigia codicum retineri posse neque deteriorem sensum effici, cum scribimus: *tamquam modo sciat, qui illum vidit,* praesertim quum hoc verbum non uno loco in Senecae libris simili modo corruptum inveniatur, *sit, sire* pro *scit scire* (exempli gratia pag. 63,27, ubi *siet* pro *sciit* scriptum est).

Ovidii Nasonis declamationem Seneca refert controversia decima, cujus thema aptissimum fuisse illius ingenio ipsum argumentum ostendit: „*Vir peregre profectus misit nuntium se discessisse, uxor se praecipitavit; recreata jubetur a patre relinquere virum; non vult; abdicatur*“. Ovidius a parte generi nimium patris amorem explicat, non patientis alium, ne maritum quidem, ita, ut ipsum, ab illa amari;

et haec generum dicentem facit: *Ecce objurgator nostri quam effrenato amore effertur, queritur quemquam esse filiae prae ceteris carum.* Ita quidem Haasius ingeniose corrupta codicum verba restituit: *quamquam esse filiam praeteris carum.* Alterum enunciatum, quum explicationem contineat effrenati illius amoris, ita debemus interpretari, ut significet: hoc queritur quod excepto se non omnes simul homines negligat, sed uni praestet benevolentiam; accuratius igitur hunc amorem, quantus sit, exprimi posse existimo, si scribitur: *quemquam esse filiae praeter se carum* (codd.: *praeteriscarum*).

Pag. 159,23 legitur: *Aliubi offenditur improvisa segetum maturitas, ad aliubi seram magno foenore moram redemit.* Haec non satis secundum morem Senecae dicta sunt; ille quidem, ubi duas res inter se opponit, non solet particula adversativa enunciata inter se conjungere, sed ut augeat vim oppositionis atque sententiae concinnitatem, assynthetice juxta ponere. Quare etiam hoc loco non dubito quin particula *ad* delenda sit; similiter enim composita est sententia pag. 236,16: *alii juvenem imperatorem fierei debere qualis Scipio fuisset, alii senem qualis Maximus fuit* cf. praetera pag. 19,7; p. 23,8 188,30. Ceterum originem duxit haec particula in codicibus ex similitudine syllabae, quae sequitur, ut librarius aliquis solito vitio primum *ad* reperisse sibi videretur, deinde errore cognito rectam scripturam adjiceret. Quam facile autem ob hanc ipsam causam potuerit inseri, inde apparet, quod non minus etiam in contrarium vitium scribae inciderunt, scilicet in id, ut priorem syllabam propter similem adspectum praeterirent,

quod evenit pag. 327,15, ubi in codd.: *si alium hominem pervenissem,* nec possumus non scribere: „*si ad alium eqs.*“

Idem, de quo modo dixi, error librarii, quod primum aliquid false perscriptum ipse post vitio intellecto correxit, ita tamen, ut utraque, et falsa et integra scriptura, exstaret, quem quidem haud uno loco in Senecae codicibus invenimus (pag. 247,31 *illis illas* pro simplici *illas;* pag. 299,20 *hodicis pauperis occisi pauperis* pro *occisi pauperis* cf. epitomen pag. 445,9, Kiessling Beiträge) statuendus esse mihi videtur pag. 325,22, quoniam haec simplicissima est ratio obscuratam codicum scripturam explicandi neque oportebit Bursiani operosior atque parum veri similis accipiatur conjectura. Dico igitur scribendum esse illic pro *fortasse sis* nil nisi hoc: *fortassis*, quum is qui descripsit hoc vocabulum, primum de forma usitatiore cogitans magis de suo quam secundum librum *fortasse* posuerit, tum libro iterum inspecto vitioque agnito integrum exitum vocabuli, qui erat *sis* pro *se*, addiderit.

Controversiarum codices quum pessime perscripti sint, gratissimum praestat auxilium in sanandis corruptelis epitome, cujus interdum jam mentionem inchoavi. Et omnes fere, qui in opera Annaeana studium contulerunt, animadverterunt quantum emolumenti afferret comparatio utriusque scripturae. Sed quamquam nimis severe Bursianus de ea judicasse videtur (praef. pag. VIII), hoc tamen omnes recte docent caute eam esse adhibendam in restituendis Senecae verbis; itaque hoc potissimum observandum, quales sint mutationes, qualia additamenta epitomatori attribuenda. In quo primum hoc reputandum

illum in utilitatem eorum hominum, quibus aperte dicenda erant omnia, confecisse excerpta, tum saepe non ad verbum transcripsisse, sed compluribus verbis memoria comprehensis de suo sententiam composuisse, denique omnia, quae aut abrupte aut implicite erant dicta, quum minus quaereret vim sententiae iis artibus, quibus usi erant rhetores, augere, simplicius atque apertius perhibuisse, itaque modo praetermisisse aliquid, modo ut tranquillius flueret oratio, inseruisse. Explevit igitur sententiam pag. 75,22 *nec in adulteris nec in tyranno* pro *ne in adulteros quidem*; pro vocibus elegantioribus simpliciores substituit: *navis* pro *rates*, *jacebat* pro *latebat*. Quid quod interdum sensum non satis accurate, fortasse memoria paullum lapsus, reddidit, ita tamen, ut intellexisse sententiam videretur 326,9: *a liberis abstractus* pro *a conjuge abstractus*, quum hic nihil referret, utrum unum an alterum; multa alia ejusmodi, quae enumerari longum est quaeque facile possunt cognosci.

Rectissime igitur Konitzerus in diss. dicit non recte, id quod Spengelius voluit, cum ceteris etiam verbum *contradicit* ex epitoma excipi pag. 56,21; nam hoc verbo nusquam Seneca thema controversiae finit, fere semper epitome; nec satis recte Kiesslingium pag. 90,25 post *honorem* etiam *homo* in ordinem recipere, quoniam alias quoque haec vox in epitoma addatur. Denique Muelleri dubitationem (Zeitschrift für Gymn.), utrum pag. 133,17, ubi controversia: *Moriar abeo excusa et exemplum*, epitoma: *moriar*, *inquit*, *habeo et causam et exemplum*, verbum *inquit* adjiciendum sit, an epitomatori tribuendum, facile expedire possumus. Nam hoc verbum interdum addidit

epitomator, ubi inter sententias exclamatio adversarii interposita est, quum Seneca modo exhibuit modo omisit. Sic pag. 313,6: *Morere* pag. 447,25: *Morere, inquit,* pag. 315,11: *At victor cito exoratus est:* pag. 448,12 *Victor, inquit, cito exoratus est;* videlicet inservit hoc additamentum perspicuitati, ut facilius intelligant lectores, utri impertienda sint haec verba. Deinde nimia epitomatoris in describendo negligentia nonnunquam potest deprehendi, cujus exempla enumerat Bursianus praef. pag. VIII. Denique eodem loco ita de intelligentia illius: „Quin etiam est ubi sententias a Seneca positas quia non intellexerat, prorsus corruperit; quod ut credas vide quae adnotavi ad pag. 343,13, 438,21, 442,15.“ Quae quum ex parte quadam recte disputata esse concedendum est, exempla tamen non satis idonea esse arbitror. Nam primus locus perspicuitatis causa potest esse mutatus, de altero vix certum judicium fieri posse duco, quum ne in controversia quidem omnia integra esse persuasum habeam et in epitoma lacuna sit, tertium denique epitomator ex memoria descripsisse videtur. Apertum vero exemplum interpretationis perversae legitur pag. 419,28, quod respondet controversiarum loco pag. 230,15. Agitur ibi de patre, qui cum filio imperium petiverat et filio praelato et ab hostibus capto, quum legatis ad redimendum missis cum auro occurrisset, proditionis accusatus est. Jam P. Latro inter accusantes dicit non debere inter argumenta criminis hoc objici, quod tam cito ad hostes ierit, quippe cujus rei facile ille possit probabilem proferre excusationem: *Si tibi dicam: expecta dum; legati mittantur, filius tibi publice remittitur, dices:*

paternus adfectus non sustinet moram; rapit me desiderium filii, etiamsi redimere vivum non potero, mortuum redimam; nunquam tam durus hostis fuit, ut paternis lacrimis non flecteretur. Comparemus vero, quo modo epitomator hanc sententiam perverterit *Exspecta dum legati mittantur, dicis: affectus non sustinet moram; ergo si redimere non potes vivum, saltem mortuum redime.*

Itaque id ipsum, in quo summa est sententiae, tam infeliciter mutavit, ut non sensum frigidum sed prorsus corruptum quique hoc loco tolerari omnino nequeat, efficeret. Sin autem causam volumus perscrutari insolitae hujus temeritatis, haec esse videtur, quod non satis curavit, qua ratione singula membra inter se cohaererent.

Similem neglegentiae lapsum deprehendi posse arbitror pag. 62,27, ubi, quum singula tantum spectasset, ita mutavit, ut sana quidem atque probabilis exstaret sententia, si unamquamque per se respexeris, quae tamen in totam argumentationem parum quadret. Itaque noluerim Spengelio concedere, qui quum in controversia esset: *affectus in nostra potestate sunt*, in epitoma *non sunt affectus in nostra potestate*, epitomes scripturam recipiens ita disputavit l. c.: „Vielmehr will der Sprechende sagen, dass die *πάϑη* nicht in unserer Gewalt stehen, wir über sie nicht Herr sind, wie dasselbe von Latro nachher näher motivirt wird: non feci ratione, affectu victus sum eqs. und die Excerpte haben: *non — potestate.*“ Rectius sane videtur epitomator scripsisse, ubi sententiam per se dictam spectamus; sed non potest recte explicari iis, quae antecedunt, sententiis non respectis. Etenim

haec praecedunt: *In priore parte hoc vindicavit* (*Gallio*) *non posse filium ob id abdicari, quod esset suae potestatis; nulli autem interdici misericordiam; quid si flere me vetes* eqs. Jam vero procul dubio verba: *in nostra potestate sunt* eodem modo accipienda atque paullo supra *suae potestatis est*, quod illic de nulla alia re posse intellegi quam de ipsis affectibus ostendit et tota argumentatio et quae sequitur sententia, utrumque nimirum significat id, quod interdici non potest.

Non igitur eadem tractat, quae Latro postea, qui dixit *non feci ratione, affectu victus sum*, quod ipse Latro non tamquam quaestionem tractandum esse ajebat; sed Latronis illud ponens veram quaestionem facit, num possit aliquis abdicari ob id, quod ejus potestatis sit, quod fieri non posse contendit. Etiam quae sequitur sententia integram esse codicum lectionem videtur comprobare; nam quum dicit: *quaedam jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora sunt*, praeter cetera quasi jus quoddam affectuum intellegit, jus affectibus, quantum cuique libuerit, indulgendi. Causas vero si quaeris, cur in hunc errorem epitomator inciderit, non alte repetendae sunt. Nam quum alibi quoque in longiore sententiarum comprehensione nimiae incuriae eum coarguisse mihi videor, tum hoc loco id accedit, quod ea, quam ipse posuit, sententia trita est atque volgaris, Gallionis vero paullo subtilius atque insolentius excogitata.

Eos locos, qui epitomes ope corrigendi sunt, maximam partem, qui in emendandis Senecae libris versati sunt, jam pertractaverunt, paucos, quos illi reliquerunt, unusquisque facile poterit expedire. Duos breviter attingam,

de quibus fortasse dubitare aliquis possit. 80,24 (epit. 392,26) legitur *putares puellam demitti, non cadere* in epitoma: *non deici sed demitti.* Jam vero in codd. sunt litterae *caderei*, quas explico ex archetypi scriptura *cadere*, vocem *cadere* pro glossemate ducens, quod post *deici* veram lectionem submovit. Cujus corruptelae ne exemplum desideres, compara sis pag. 31,18, ubi Bursianus scripsit *aiebat* pro codicum *audiebat*, quod fortasse ortum sit ex antiqua dittographia *dicebat.* Praeterea id, quod epitome praebet, optime congruit cum Senecae et rhetorum dicendi ratione, qui in eas sententias, quas ipsa brevitate delectare et admirationem movere volebant, cum maxime ejusmodi voces ingesserunt, quae ipso sono antitheton et ictum sententiae augerent.

Pag. 229,7: *Non immobilis stetisti, non illic quasi et ipse affixus haesisti.* Epitomator pag. 449,21, quum cetera ad verbum reddidit, pro *stetisti* contra usum elegantiore usus est voce *diriguisti*, quae non dubito quin in controversiam excipienda sit; videtur enim etiam hic ad hoc vocabulum utpote minus usitatum glossema adscriptum fuisse *stetisti*, quod post scribae solum transscribebant; interpolationis vetustissimae exemplum detexit Konitzerus (indiss.) pag. 74,27, ubi pro scriptura *accusata* epitome exhibet *homicida;* et Vahlenius, qui vocem *praelium* pag. 120,22 pro glossemate habendam esse docet. Ceterum utitur Seneca eodem vocabulo pag. 190,13 *diriguit animus, obortae sunt subito tenebrae.*

Haec sunt, quae de nonnullis Senecae locis exponere mihi in animo erat. Profiteor me quidem omnes quas proposui persuasas habere emendationes, alii, in quantum

mihi concessuri sint, quandoquidem in his potissimum rebus variae soleant esse et discrepantes singulorum sententiae, in incerto habeo.

Hoc tamen existimo recte me posse sperare, etsi nonnullis non satis quae volui probavisse visus ero, certe ex parte quadam omnes mihi esse assensuros.

CORRIGENDA.

Pag.	5	lin.	ult.	lege	„oculatus“.
„	6	„	1	„	„difficultatibus“.
„	9	„	3	del.	„atque“.
„	12	„	27	„	„comma“.
„	13	„	9	lege	„sexcenties“.
„	24	„	3	„	„ἀποῤῥηθῇ ἀντὶ τοῦ ἀποκηρυχθῇ Πλάτων“.
„	33	„	23	„	„ludibria“ lin. 29 „ludibrium“.
„	43	„	5	„	cadere“ „deici. lin. 6 del. „deici“.
„	43	„	9	„	dic “ „aiebat.
„	43	„	ult.	del.	comma post „alii“ positum.




Fig. 1




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 5




Fig. 4




Fig. 6.